

TERNATURALIS exorbitat, terminosque excedit, & licet lege & consensu naturæ sit generata, tamen præter naturam luxuriat.

PITUITA ἀλμυρώδης, *salsa*, tanquam causa causi adlegatur à Galeno 4. de victus ratione in acutis à textu 13. ad 19. dum duas causi species ibidem proponit, unam ex bile, alteram ex pituita *salsâ*; hanc spurium, illam verò legitimum excludere causum.

BILIS intelligitur tam sincera, quam mista. SINCERA tum naturalis flava, quam præternaturalis adusta, pluribus in locis adnotantur à Galeno. NATURALEM intelligit 2. de different. febrium cap. 2. & 4. apbor. 58. & 59. ADUSTAM innuit 3. epidem. comm. 3. t. 7. ubi vomitio æruginosæ bilis propria ardentium febrium esse statuitur. MISTA ex humore tenui & flava bile, quæ PALLIDA dicitur, nominatur 2. epidem. comm. 1. t. 9.

Ex pituitâ solâ ardentem fieri febrem posse, nonnulli negant, & pro materiâ causi illegitimi agnoscunt *bilem & pituitam admixtam*.

Verùm contra hos insurgit Ludovicus Mercatus libr. 6. de febr. cap. de febre ardente, putatque, causum illegitimum, qui ex pituitâ oritur, non habere pro materiâ bilem & pituitam admixtam, ut vulgò fertur; cum ea communis sit etiam tertianis spuriiis, & continuis spuriiis, quæ ex utroque humore, citra ullum *salsuginis* sentium, nec adeò grandi incendio concitantur; sed fieri ex *tenuissimâ pituitâ*, quæ principium ustionis aut putredinis sortita, multis pravis ichoribus, ex bile flavâ exortis, aut ex aliâ è præternaturalibus, admiscetur.

In hoc sententiarum divortio Caprilius distinguit causum spurium in *biliosum & pituitosum*. Illum, qui fit ex pituitâ *salsâ*, mixtâ cum bile; hunc, qui oritur à pituitâ *salsâ* citra admisionem bilis, nimirum ob admistæ *salsæ serosæ humiditatis putredinem*, juxta Galenum 2. de differ. febr. cap. 6.

Nostra sententia est tolerari hæc posse omnia, si de sanguine bilioso vel pituitoso explicentur.

MODUS, quò dicti humores in venis putrescant, delineatur ab Hippocrate librò de locis in homine, ubi febres fieri asserit, cum corpore supercalefacto & inflammato, carnes intumuerint, & bilis & pituita